Annus XIX - Vol. XIX 3 Octobris 1927 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Motu proprio, p. 329 - Constitutiones Apostolicae, p. 331 - Litterae Apostolicae, p. 337 - Epistolae, p. 340.

Acta SS. Congregationum: *Suprema S. C. Sancti Officii:* Proscriptio libri, p. 347 - *S. C. Consistorialis:* I. Provisio Ecclesiarum, p. 347. II. Designationes pro appellationibus, p. 348 - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Nominationes, p. 348. II. Designationes, p. 348 - *S. C. Rituum:* Lugdunen. seu Mechlinien. et Vivarien. Decretum introductionis causae S. D. M. Victoriae Teresiae Couderc, p. 349.

Diarium Romanae Curiae: Udienza diplomatica - Tribunale della Sacra Romana Rota: Inaugurazione dell'anno giuridico - Segreteria di Stato: Nomine. Onorificenze - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, pp. 354-360.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 10 - 3 Octobris 1927)

ACTA PII PP. XI

Motu proprio

PAG.

Inde ab inito. - De Cardinali Sacrae Congregationi de Seminariis Studiorumque Universitatibus Praefecto pro tempore inter Patres Cardinales Sacrae Congregationis S. Officii et Pontificalis Commissionis pro Studiis Biblicis cooptando. - *24 Septembris 1927* 329

Constitutiones Apostolicae

I. *Supremi pastoralis.* - Sedis episcopalis Oleastrensis translatio. - *5 Iunii 1927* . 331

II. *Ad rectum.* - Sedis episcopalis Boianensis translatio. - *29 Iunii 1927* 332

III. *Nostrarum partem.* - De erectione et regimine Pontificii Seminarii Maioris a Sacratissimo Corde Iesu in Sardinia. - *5 Augusti 1927* 334

Litterae Apostolicae

I. *In Comensis dioecesis.* - Basilicae minoris honoribus condecoratur sanctuarium B. M. V. ab apparitione, in oppido Tirano, Comensis dioecesis. - *11 Maii 1927* . . 337

II. *Allatum Nobis.* - Ecclesia Ordinis Praedicatorum Deiparae Virgini a Rosario Sacrum O. P., Viennae exstans privilegiis et honoribus Basilicae minoris augetur. - *20 Maii 1927* 339

Epistolae

I. *Per dilectum filium.* - Ad R. P. D. Leopoldum Preçan, Archiepiscopum Olomucensem eundemque «apostolatus a Ss. Cyrillo et Methodio» praesidem: de conventu quinto Velehradensi. - *7 Iulii 1927* 340

II. *Ut cleri populique.* - Ad Emum P. D. Thomam Pium titulo Ss. Quirici et Iulittae S. R. E. Presb. Card. Boggiani, quem legatum suum mittit ad nonum e tota natione Conventum eucharisticum Bononiae celebrandum, - *15 Augusti 1927* . 342

PAG.

III. *Quas prope oppidum.* - Ad Emum P. D. Caietanum Protodiaconum S. Agathae S. R. E. Card. Bisleti Sacrae Congregationi de Seminariis Studiorumque Universitatibus Praefectum: de Seminario maiore Sardiniae prope Kularim auspicando. - *16 Septembris 1927* 345

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum: damnatur opus «" L'Action Française ,, et le Vatican». - *19 Sept. 1927* . 347

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Provisio Ecclesiarum 347

II. Designationes 348

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Nominationes 348

II. Designatio 348

S. CONGREGATIO RITUUM

Lugdunen. seu Mechlinien. et Vivarien. - Decretum introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Victoriae Teresiae Couderc, confundatricis et primae superiorissae Societatis Dominae nostrae a recessu in Coenaculo. - *13 Iulii 1927* 349

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza diplomatica 354

II. Tribunale della Sacra Romana Rota: *Solenne inaugurazione dell'anno giuridico* 354

III. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 356

IV. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 359

V. Necrologio 360

Annus XIX - Vol. XIX 3 Octobris 1927 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

MOTU PROPRIO

DE CARDINALI SACRAE CONGREGATIONI DE SEMINARIIS STUDIORUMQUE UNIVERSITATIBUS PRAEFECTO PRO TEMPORE INTER PATRES CARDINALES SACRAE CONGREGATIONIS S. OFFICII ET PONTIFICALIS COMMISSIONIS PRO STUDIIS BIBLICIS COOPTANDO.

PIUS PP. XI

Inde ab inito Pontificatu partes officii Nostri paene praecipuas esse duximus, ut rectam in diesque solidiorem uberioremque clericorum institutionem promoveremus, omnibus amotis incommodis, quaecumque ipsi officere aliquo pacto videbantur. Quam quidem curam et sollicitudinem Nostram Sacram Congregatio Seminariis catholicisque Athenaeis regundis studiose sane naviterque participat. Siquidem, in munere quod sibi proprium ac peculiare est exsequendo, ea videt ac prospicit, ut non modo magistri deligantur eruditiores atque aptiores, qui disciplinas sibi ad docendum commissas recte fructuoseque tradant, verum etiam in libris, qui studiosorum manibus ex praescripto teruntur, cum sint omnia utiliter egregieque dicta, tum nihil contineatur unde mentes animique iuvenum aliquid capere detrimenti queant. In eiusmodi tamen doctorum librorumque delectu Sacra Congregatio, quam diximus, non posset aut consulendo aut praecipiendo auctoritatem interponere suam, nisi commentaria atque volumina

cognosceret, quae de litteris deque ecclesiasticis doctrinis cum ab nostris tum ab ceteris, saltem graviora, eduntur. Nemo enim non intellegit, ad eam demum Congregationem propius pertinere, ut qui apti non sint, qui ab sacra doctrina praeceptores et libri recedere videantur, eosdem de scholis deque Athenaeis nostris missos fieri iubeat.

Cum autem, ut canonem 247 § 4 Codicis iuris canonici afferamus, ad Supremam S. Officii Congregationem spectet « non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere... sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda », cumque, praeterea, in scripta, quae de re biblica prodeunt, ipsa quoque advigilet Pontificalis Patrum Cardinalium pro Studiis Biblicis Commissio, quam vocant, a decessore imm. mem. Nostro Leone XIII constituta, liquido patet, tam arctis rationibus hinc inde intercedentibus, Cardinali Praefecto, quem ante memoravimus, si in Supremam Congregationem eamque Biblicam Commissionem adscitus erit, iam in hoc ipso plurimum praesidii ad munus suum exercendum adfore, quod amplior profecto illi tutiorque hominum rerumque notitia, in hac tanta ecclesiasticae institutionis quasi palaestra, facile suppetet.

Itaque, motu proprio et de certa scientia ac matura deliberatione Nostra, volumus ac decernimus, Cardinalem Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus Praefectum *pro tempore* iam nunc et perpetuo posthac inter Patres Cardinales Supremae Congregationis S. Officii itemque Pontificalis Commissionis pro Studiis Biblicis iure atque ex officio referri ac numerari.

Quod vero his Litteris constituimus, id Nos ratum et firmum in perpetuum fore edicimus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Septembris anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

OLEASTRENSIS

SEDIS EPISCOPALIS TRANSLATIO

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremi pastoralis officii Nobis divinitus commissi sollicitudo iugiter Nos admonet, ut omni cura et vigilantia ad ea semper intendamus, quibus dioecesium regimini aptius consuli possit. Considerantes itaque dioecesis Oleastrensis regimini utile prorsus ac necessarium fore episcopalem sedem et cathedram a civitate *Tortolí* nuncupata, ad civitatem *Lanusei* transferre, quae fere in medio Oleastrensis dioecesis territorio sita est, Nos, omnibus mature perpensis, ad id deveniendum esse censuimus. Quare, suppleto quatenus opus sit, quorum interest aut qui sua interesse praesumant consensu, Nos, de Apostolicae potestatis plenitudine, a praefata civitate *Tortolí* sedem et cathedram episcopalem Oleastrensem, una cum cathedrali Capitulo et minoribus beneficiariis ac Seminario, ad civitatem *Lanusei* transferimus, cui propterea omnia iura, privilegia, honores et praerogativas, quibus ceterae episcopales sedes gaudent, tribuimus, sub modo tamen ac legibus, quae sequuntur: I) Ecclesiam S. Mariae Magdalenae in urbe *Lanusei* Cathedram pro Episcopis Oleastrensibus constituimus, ipsamque ecclesiam proinde ad cathedralis gradum et dignitatem evehimus, ibique Capitulum cathedrale chorale servitium iuxta canonicas leges persolvet. II) Dignitati Archipresbyteratus, quae una est in Capitulo cathedrali, cuique est Capitulo praesidere, animarum cura etiam in posterum sicut in praesenti erit adnexa, atque ad eam pro hac vice his iisdem praesentibus Litteris dilectum filium Andream Porcu, S. Theologiae Doctorem, hodiernum parochum praefatae ecclesiae S. Mariae Magdalenae in urbe *Lanusei* nominamus. III) Parochus pro tempore ecclesiae S. Andreae Apostoli in urbe *Tortolí* Capitulo cathedrali Oleastrensi qua Canonicus ad honorem pertinebit. Qui vero eum in animarum cura coadiuvabunt ab Ordinario ad tramitem iuris communis nominabuntur. IV) Coadiutores pro tempore Archipresbyteri-parochi civitatis *Lanusei* in posterum cum ceteris quatuor beneficiariis minoribus Capituli cathedralis Oleastrensis accensebuntur. Ad haec autem exsecutioni mandanda

deputamus venerabilem fratrem Georgium Delrio, Archiepiscopum Arborensem, eidem propterea tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive sententiam dicendi de quavis in exsecutionis actu occurrente difficultate vel oppositione, facto eidem onere transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem infra sex menses a subsignata die computandos, authenticum exemplar peractae exsecutionis. Decernimus denique has Nostras Litteras valituras contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali ac expressa mentione dignis. Quae autem hisce Litteris a Nobis Apostolica auctoritate decreta sunt, nemini, nullo unquam tempore infringere, aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis tamen, ausu temerario, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, in festo Pentecostes, die quinta mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Ioannes Zani-Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXVI, n. 39. – M. Riggi.

II

BOIANENSIS-CAMPOBASSENSIS

SEDIS EPISCOPALIS TRANSLATIO

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad rectum et utile dioecesium regimen maxime confert ut Episcopi sedes in ea urbe constituatur, quae sit ceteris praestantior et viarum facilitate commodior. Cum itaque in dioecesi Boianensi civitas *Campobasso* exsistat, quae provinciae Molisanae est caput, et in opportuniore situ collocata, propter viarum commoditatem ab omnibus adiri facile

potest, Nos episcopalem sedem et cathedram, hactenus Boiani constitutam, una cum cathedrali Capitulo et Seminario in urbem *Campobasso* transferendam censuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, suppressis civitatis Boianensis iuribus episcopalibus, in civitate *Campobasso* sedem et cathedram episcopalem dioeceseos hactenus Boianensis, nunc vero *Boianensis-Campobassensis* appellandae, constituimus, cum omnibus iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae sedes episcopales gaudent. Ecclesiam autem SS. Trinitati dicatam in urbe *Campobasso* in Cathedralem dioecesis erigimus; in eaque cathedrale Capitulum cum minoribus beneficiariis, iuxta canonicas leges, chorale servitium persolvet. At sacerdotibus nativitate Boianensibus, qui in cathedrali ecclesia canonicatu aliove beneficio actu potiuntur, fas erit domi, vel in alio loco dioeceseos de consensu Episcopi, legitime commorari; et, quamvis absentes, quatenus diebus, quibus chorali servitio interesse debent, in praefatis locis residebunt, praesentes in choro habebuntur et fructus praebendae ac distributiones quotidianas percipient. Archipresbyter vero ecclesiae quae hactenus fuit cathedralis Boianensis, cuique adnexa est cura animarum, cum Boiani residere debeat, non amplius erit pars Capituli; sed eius locum ac dignitatem obtinebit Archipresbyter-parochus ecclesiae SS. Trinitatis in urbe *Campobasso*, reservato tamen favore hodierni Archipresbyteri Boianensis, eius vita ac munere durante, iure percipiendi partem massae capitularis prout nunc percipit; quae in posterum Archipresbytero novae ecclesiae cathedralis in urbe *Campobasso* tribuetur. Ad ornamentum autem veteris cathedralis S. Bartholomaei, Boiani, huius ecclesiae Archipresbyter-parochus *pro tempore* in sacris functionibus gestare poterit habitum coloris violacei, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus et mantelletum supra rochetum. Insuper in memoriam antiquae cathedrae parochi dioeceseos die vigesima quarta mensis Augusti singulis annis Boianum in ecclesiam S. Bartholomaei, iuxta centenariam consuetudinem, etiam in posterum convenient obedientiam Episcopo exhibituri. Denique in urbem *Campobasso* cum suis reditibus Seminarium transferetur, in quo iuvenes in spem dioecesis succrescentes rite instituantur; at alumnis e civitate Boianensi oriundis, quatenus proventuum copia suppetat, imminutio pensionis solvendae prae ceteris ad beneplacitum Episcopi concedatur. Ad haec autem exsecutioni mandanda venerabilem fratrem Aloisium Lavitrano, Archiepiscopum Beneventanum, deputamus cum potestate subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, cum facultate dirimendi controversias,

si quae in exsecutionis actu oriturae sint, imposito eidem onere transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem, intra sex menses, authenticum exemplar peractae exsecutionis. Decernimus denique has Nostras Litteras valituras contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus. Quae autem hisce Litteris auctoritate Apostolica a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore, infringere aut iis contraire vel quomodolibet repugnare liceat. Si quis autem, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, poenas a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutas se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die vigesima nona mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno sexto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*
Hector Castelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap. vol. XXXVI, n. 52. – M. Riggi.

III

DE ERECTIONE ET REGIMINE PONTIFICII SEMINARII MAIORIS A SACRATISSIMO CORDE IESU IN SARDINIA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nostrarum partem curarum praecipuam sibi vindicant ea Instituta, in quibus adulescentes clerici in spem Ecclesiae succrescunt. Nemo quippe est qui non experiendo compererit bonos laicorum mores studiaque christianarum virtutum adeo cohaerere cum sancta clericorum vita, ut alterum cum altero arctissimo vinculo devinciatur et ad bonum commune coniuret amice. Hinc perpetua Ecclesiae cura ut a sacerdotio arceantur indigni vel non satis idonei ministri; hinc assidua eiusdem sollicitudo ut qui probati vocatique a Deo sunt, ad tam grande munus ita comparentur ut bonitate, disciplina, scientia, ceteris praeluceant ac religioni et civitati perutilem navent operam.

Quapropter numquam non intermisimus sollicitudinis apostolicae ac pontificiae providentiae signa argumentaque pro re nata praebere. Vix enim ut Pontificatum auspicati sumus, Litteras Apostolicas ad dilectum filium Nostrum Caietanum Sanctae Agathae S. R. E. Protodiaconum Cardinalem Bisleti Praefectum Sacri Consilii Seminariis et Studiorum Universitatibus curandis, dedimus, in quibus, inter alia, Episcopos in partem sollicitudinis Nostrae vocabamus. Quam multi enim sunt qui moderatorum praeceptorumque inopia, vel fortunarum angustiis, vel alia de causa nequeunt adulescentes clericos, si quos habent maioribus studiis maturos, apud se curare, ut dignum est, instituendos? Iis igitur ut possent permagno sui muneris officio fungi opportune haec Apostolica Sedes opitulata est, conditis, maxime per Italiam, in singulare regionum commodum, Seminariis nonnullis, iisque praesidum doctorumque nobilitate florentibus, unde sacerdotes exsisterent ad omne opus bonum instructi, paratique se devovere totos Dei gloriae animarumque saluti. Nos equidem id instituti genus, in quo sapientia aeque ac munificentia decessorum Nostrorum Pii X et Benedicti XV spectata est, cum sartum et tectum conservare volumus, tum etiam, quantum est in Nobis, omni ope in maius provehere.

Cum igitur tam provida caritatis consilia volutaremus animo, Seminariorum conditio antiquissimae Sardiniae insulae Nobis obversata est, ac propensiore voluntate Nos sensimus ad eam inclinari ut beneficio Seminarii communis et regionalis, ut ceteros plerosque Italiae populos, ipsam ditaremus. Peculiares aderant causae, loci propriae, quae providum consilium maturarunt. Suasit igitur amor ut de novis exstruendis aedibus, Sardiniae clericis usibus ac utilitatibus destinatis, cogitaremus. De loco deliberantibus, maxime opportunus visus est qui « Kúlaris » vulgo « Cúglieri » appellatur.

Is enim et in media situs est insula et amoenissimus ac saluberrimus est, nemoribus consitus, optimis lymphis irrigatus, ut vix aptior inveniri possit. Accedit quod locus est in tutela Virginis, quae sedem quodammodo ibi fixit in celebri sanctuario « Sanctae Mariae ad Nives » nuncupato. Sub oculis ergo tantae Matris, ipsiusque ductu, iuventus ista ad sacerdotium sancte informabitur. Quod ut fiat, inibi sumptu Nostro Seminarii aedes moliri iussimus, molitasque rebus omnibus necessariis instrui. Deo opitulante, fausto eventu omnia cesserunt, ac spem conceptam confirmarunt.

Sed aliud fuit quod animum Nostrum maxima delectatione affecit. Innuere volumus unanimem consensum et plausum quo Sardiniae Episcopi, de re edocti, inceptum exceperunt et prosecuti sunt. Quod testatum etiam voluerunt litteris communibus ad Nos datis, quae eo etiam nomine Nobis iucundissimae evaserunt, quod ea quae de instituti causis, fructibus qui

sperantur, ac de ipso loco Nos cogitaveramus, ea ipsa esse quae Episcopi sentiebant, revelarunt: ipsimet etiam a Nobis conceptam fidem in Virgine primaria cleri institutrice, confirmarunt: hoc autem magnopere delectamur ac prosperum ducimus. Quae omnia mirum quantum de toto hoc negotio bene auspicentur, praecipue quod hinc totius insulae populorum harmonia et prosperitas, ex uniformi cleri institutione, sibi merito ominentur.

Rebus igitur ita feliciter dispositis, nihil aliud superesse videtur nisi eiusdem Seminarii iuridica erectio et functio. Quod itaque in religiosae rei incrementum cedat et Ecclesiis Sardiniae benevertat, fundatum ad Kularim Seminarium maius pro tota Sardinia insula, a Sacratissimo Corde Iesu appellandum, constituimus eidemque legitimi Collegii iura attribuimus. Hac tamen lege, ut aedes Seminarii, fundus qui aedibus adiacet, quaeque sive in fundo sive in aedibus sunt, in potestate Romani Pontificis sint perpetuoque maneant. Seminarii autem aedes destinantur omnibus Sardiniae clericis philosophiae ac Theologiae auditoribus: quorum quidem, nisi speciale suffragetur Apostolicae Sedis indultum, nemo poterit ad sacros Ordines promoveri, quin ibidem hisce vacaverit disciplinis.

Seminarium vero regatur auctoritate Apostolicae Sedis, quae per Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, quae sibi visa fuerint, administrabit, iuxta statuta a canone 1357 § 4 Codicis iuris canonici.

Cum vero experientia Nobis compertum sit, inter alios Seminariorum Moderatores Sodales etiam Societatis Iesu tum in Europa tum in aliis orbis catholici regionibus in plerisque maioribus clericorum Seminariis hac ratione fundatis, iuventuti docendae ac educandae plurimum adlaborare, Deoque et Ecclesiae clero formando se probare, volumus ac decernimus ut hoc novum Seminarium eiusdem Societatis Sodalibus regendum ac moderandum tradatur ad leges quae in Seminariorum regimine atque administratione ex communi Ecclesiae iure, ex praescriptis Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, ex peculiaribus statutis pro ipso Seminario Kularitano a Nobis adprobatis, servandae sunt.

Demum ad dignitatem ipsius instituti augendam, tutandam, Theologiae et philosophiae magistris, Rectore ac Moderatore studiorum praesidibus, facultatem facimus merentibus auditoribus conferendi gradus academicos, ad ea quae in hac eadem re statuta auctoritate Nostra sunt.

Hoc restat ut quotquot in maius Sardiniae Seminarium adlegentur studeant omnes oblati a Deo beneficii magnitudinem pro merito aestimare, ac pietate, doctrina, ceteris omnibus virtutibus ita praestent, ut exspectationi desiderii Nostri ac suorum Episcoporum quam cumulatissime respondeant.

Quae denique hisce Litteris statuimus, decrevimus, indiximus, rata omnia firmaque permanere auctoritate Nostra volumus, iubemus: quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die quinta mensis Augusti in Festo Beatae Mariae Virginis ad Nives, Pontificatus Nostri anno sexto.

C. CARD. BISLETI,
S. C. de Seminariis ac de Studiorum Universitatibus Praefectus.

P. CARD. GASPARRI,
a Secretis Status.

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in tabulario Canc. Ap., vol. XXXVI, n. 83. – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS HONORIBUS CONDECORATUR SANCTUARIUM B. M. V. AB APPARITIONE, IN OPPIDO TIRANO, COMENSIS DIOECESIS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — In Comensis dioecesis oppido, cui vulgo nomen *Tirano*, matutinis horis diei XXVIIII mensis Septembris anno MDIV Beato Mario Omodei, uti fertur, Deipara Virgo apparuit, iussitque ut populo nunciaret templum in ipsius honorem eo ipso in loco erigendum esse, ubi ipsa pedes posuerat. Continuo caelestem apparitionem probarunt miracula: gravi morbo laborans Marii germanus frater repente convaluit, et quae saeviebat inter armenta pestis illico deferbuit. Quare in mirandi eventus memoriam statim inibi sacellum conditum est, et quod cum brevi impar evasisset undique confluentium fidelium turmis continendis, auctore atque auspice Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Trivultio, qui per illud temporis Comensem sedem obtinebat, ab anno MDV ad annum MDXXVIII, corrogata populi stipe et conspicuis nobilium virorum largitionibus, ingens surrexit templum molis amplitudine atque artis ope-

rum splendore praenobile; pretioso marmore, pictis tabulis aeneisque signis mirifice ornatum. Hoc Marianum sanctuarium, prodigiis cohonestatum, iuxta Helvetiae fines positum quasi validum adversus haereticorum machinationes propugnaculum, plures devota peregrinatione et omnis condicionis fideles inviserunt, populares non minus quam proceres, et Sanctae etiam Ecclesiae principes, quos inter memorare iuvat divum Carolum Borromaeum, Mediolanensium Cardinalem Archiepiscopum, qui die XXVII mensis Augusti anno MDLXXX integram noctem ante Virginis statuam orando transegit. Haec quidem statua Virginis, ulnis gestantis puerum Iesum, aureo diademate ex Apostolicae Sedis concessione redimita est anno MDCLXXXX, die apparitionis anniversaria, scilicet XXVIIII mensis Septembris. Nec caret Indulgentiarum thesauro; Romani enim Pontifices Nostri decessores singularibus sanctuarium ipsum indulgentiis ac privilegiis cohonestarunt. Supellectile quidem pretiosa abundat et Sanctorum Relliquiis; ibidemque cultui inserviunt diligentia singulari Ordinis Servorum Mariae fratres, qui quotannis, occasione potissimum sollemnium peregrinationum, ad sacras functiones celeberrima pompa incumbunt. Haec animo repetentes, cum dilectus filius Peregrinus M. Contessa, Prior ipsius Sanctuarii et continentis coenobii Ordinis Servorum Mariae moderator, enixas Nobis adhibuerit preces ut sacram enunciatam aedem ad Basilicae minoris dignitatem evehere dignemur, hasque preces cumulent atque ornent amplissima suffragia Episcopi Comensis, et Generalis Prioris dicti Ordinis Servorum Mariae, nec non vota Praesidis municipii Tiranensis, atque universae dioecesis Comensis cleri populique, Nos optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum, sanctuarium ab apparitione Deiparae Virginis nuncupatum, in oppido *Tirano* situm dioecesis Comensis intra fines, praeclarissimum sacrum non minus quam civile monumentum, necessariis atque opportunis condicionibus ad rem instructum, titulo ac dignitate Basilicae minoris condecoramus, privilegiis atque honorificentiis iuxta morem adiectis.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si

quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

ECCLESIA ORDINIS PRAEDICATORUM DEIPARAE VIRGINI A ROSARIO SACRA, VIENNAE EXSTANS, PRIVILEGIIS ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Allatum Nobis est Leopoldum, Austriae Ducem, gloriosum appellatum, anno reparatae salutis MCCXXVI, quinto post felicem Sancti Dominici Patriarchae Praedicatorum Ordinis conditoris transitum, Conventum Viennensem ad Sanctae Mariae Rotundae, primitivis Fratribus Praedicatoribus ex Hungaria advenientibus tradidisse, ipsumque conventum adeo floruisse brevi, ut in eo generalia totius Ordinis comitia, Beato Ioanne Vercellensi sexto Generali Magistro, anno MCCLXXXII sollemni festo Pentecostes fuerint celebrata. Constat quidem ipsos fratres, condito conventu, Viennensibus civibus operam iuvantibus, ecclesiae aedificandae manus admovisse, et eandem ecclesiam anno MCCXXXVIII ad exitum fuisse adductam una cum praecipuis sacellis Beatae Mariae Virginis in presbyterio, nec non Sanctae Annae, sancti Dominici, sancti Augustini, sancti Martini, ac dein sancti Petri Martyris. Huic sacrae aedi, annis MCCLVIII et MCCLXII incendio deletae, altera suffecta est structurae gothicae splendore et molis amplitudine insignis. Presbyterium cum choro, anno MCCCII consummatum, a Legato Pontificio Nicolao Boccasino, Ordinis Praedicatorum, consecratum fuit, qui postea Benedicti XI nomine ad Pontificalem dignitatem evectus, Ecclesiae universae regimen divinitus obtinuit; anno autem MCCCCXXXXVII ecclesiae adiuncta est navis pluribus sacellis affabre ornata. In sacello sanctissimi Rosarii, quod in presbyterio exstat, ab anno MDCCCXXXX ad nostra usque tempora, summa religione ac pietate populi recolitur Imago Beatae Mariae Virginis a Rosario a celebri magistro Leopoldo Kuppelwieser depicta. Haec animo repetentes, cum sacra haec aedes, quae Rosarii Virginis titulo gaudet, omnibus condicionibus polleat, quae ad Basilicae minoris dignitatem suffragantur, ultro libenterque concedendum existimavimus votis hodierni Prioris et Rectoris dicti templi, qui Nos enixis

precibus flagitavit ut occasione septimi propediem exeuntis anni centenarii a primaeva Viennensis conventus erectione, aedem eandem ad Basilicae minoris gradum promovere dignaremur. Accedunt amplissima suffragia tam Purpuratorum Principum S. R. E. Cardinalium Gustavi Friderici Piffl, Archiepiscopi Vindobonae, et Andreae Frühwirth ex Ordine Praedicatorum, nec non dilecti filii Procuratoris Generalis eiusdem Praedicatorum Ordinis; ideoque Nos, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis religiose perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore perpetuumque in modum, ecclesiam Ordinis Praedicatorum Vindobonae Deiparae Virgini a Rosario consecratam titulo et honore Basilicae minoris cum privilegiis et honorificentiis iuxta decreta ac praxim adiunctis condecoramus.

Porro haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Maii anno MCMXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. LEOPOLDUM PREÇAN, ARCHIEPISCOPUM OLOMUCENSEM EUNDEMQUE « APOSTOLATUS A SS. CYRILLO ET METHODIO » PRAESIDEM: DE CONVENTU QUINTO VELEHRADENSI.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Per dilectum filium Nostrum Cardinalem Aloisium Sincero, Sacrae Congregationis « Pro Ecclesia Orientali » a Secretis, libentes sane certiores facti sumus

conventum mox quintum, te quidem moderatore ac praeside, Velehradii actum iri, ut ea opportune provehantur studia ac necessitudines, quibus magis in dies se invicem noscant christiani ex Oriente et Occidente, ii qui semper huic beati Petri Cathedrae firmissime adhaeserunt et ceteri, filii quidem Nobis non minus cari, qui maiorum errores secuti nondum in domum Patris redierunt. Ac certe non mediocres utilitatis fructus hucusque iste tulit « Apostolatus a SS. Cyrillo et Methodio », cui tu praees diligenter: quamobrem non semel Nos, haud secus ac decessores Nostri, pium Opus istud pro occasione non modo commendavimus, sed etiam valde Nobis ipsum cordi esse professi sumus. Nec parum laetamur quod congressio ista Velehradii celebretur, in urbe scilicet ubi magni Slavoniae Apostoli, S. Methodii, reliquiae tam pie servantur atque coluntur; cumque illuc tam multi, uti affertur, ex remotissimis quoque regionibus conventuri sint viri ex sacro ordine, pietate doctrinâque praestantes — quos inter venerabilis frater Michael d'Herbigny, Pontificii Instituti Orientalis Praeses, una cum nonnullis Instituti ipsius magistris — Nos, qui probe quidem compertum habemus quantum hi omnes consilii, studii, diligentiae conferant ad unitatem dissidentium assequendam cum Ecclesia matre, spem omnino fovemus eos conventum habiturum esse exitus qui sunt in bonorum omnium exspectatione. Cuius rei id sane optimum est auspicium quod saecularia sollemnia hoc anno aguntur in memoriam viri illius sanctissimi, Cyrilli Thessalonicensis, qui, una cum Methodio fratre, christianam fidem amantissimis Slavicae terrae filiis attulerunt. Haec tibi, venerabilis frater, spei Nostrae sensa significare voluimus, ut eadem ipse conventuris omnibus interpretareris. Interea, lumen vestris mentibus caritatemque animis a Servatore Domino precantes, ut, auspice Deipara dulcissima, coepta ista, quae Nos tantopere urgemus, in plurimorum salutem cedant, et in divini regni amplificationem, caelestium conciliatricem munerum paternaeque voluntatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, iisque omnibus qui coetibus intererunt, apostolicam benedictionem in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VII mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. THOMAM PIUM TITULO SS. QUIRICI ET IULITTAE S. R. E. PRESB. CARD. BOGGIANI, QUEM LEGATUM SUUM MITTIT AD NONUM E TOTA NATIONE CONVENTUM EUCHARISTICUM BONONIAE CELEBRANDUM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Ut cleri populique Bononiensis optata explerentur, a Consilio Italico coetibus Eucharisticis apud nos provehendis atque ordinandis nonum eiusmodi e tota natione Conventum Bononiae hoc anno haberi, delectu sane optimo, decretum est. Etenim, si in civitatis illius laude ponendum, quod, inde a media aetate, inlustre ibidem floruit praecipuumque altiorum disciplinarum domicilium, ita, ut frequentissimi, vel ab exteris nationibus, eo auditores confluerent: unde *docta* nuncupari Bononia consuevit, – at huic non minus profecto accedit decoris atque ornamenti e studiosa illa, quae civibus avitae pietatis aemulatoribus veluti in medullis haeret, Augusti Sacramenti veneratione. Siquidem apud ipsos Imeldae Lambertiniae et Catharinae de Vigris, utriusque civis suae, saeculorum decursu recordatio atque exempla potuere plurimum: quarum altera caelesti dape, quae sibi, etsi appetentissimae, ob aetatulam denegaretur, mirum in modum refecta est, atque, eo dum fruebatur divini Sponsi complexu caritatisque aestu, e terris in caelum evocata; altera vero non tam coenobium templumque Corporis Christi in patria condidit, quam Domino suo sub Eucharisticis velis latenti unice vixit eiusdemque cultum pro viribus promovit. Haec quidem pervagata satis; at non satis, citra ipsos Italiae fines, est cognitum, quaenam, paulo post institutum in Ecclesia legitime festum Corporis Christi, gubernatores Bononiensium sollemnia ad maiorem Augusti Sacramenti gloriam civitati imperarint: dicimus celebritates ac pompas nomine *Decennales*, dignas prorsus quas Nosmet commemoremus et reliquis civitatibus admirandas imitandasque proponamus. Scilicet inductum, ut paroeciae urbanae per orbem omnes decimo quoque anno sollemnem Corporis Christi pompam agerent: quo autem numero et ordine, quibus caeremoniis, cautum initio ac deinceps Episcoporum atque Archiepiscoporum auctoritate. Sed mirum quantum populi ardor ad augendam rei faustitatem extemplo exarsit hodieque exardescit. Itaque auspicato fit, ut non modo curialia ea templa reficiantur tempestive atque affabre ornentur, sed etiam ad veterem sacram supellectilem, si quid contritum

laceratumque, artificiose resartam, nova, eademque copiosa et locuples, ex dono ac largitate piorum e paroecia fidelium supellex accedat; ut domus secundum vias sitae, per quas pompa ducenda sit, aut perficiantur, si quae exstrui coeptae, aut dealbentur; ut in vias ipsas, aulaeis sursum ad temperandum solis aestum contectas, ob laurumque floresque apte dispositos, olentes, quot fenestrae prospiciunt, totidem velis damascenis, sericis lineisve decorentur. At praeterea, quod pluris est, cum hac tanta rerum omnium renovatione ea animorum renovatio coniungitur, quam dixeris, fragrantis thuris instar, ad Deum *in odorem suavitatis* adscendere. Tales igitur cives, tamque de mysterii Eucharistici cultu solliciti, quid, dilecte filii Noster, quid, inquimus, facturi non erant, ut ad gloriam divini templorum nostrorum Hospitis adque spiritualia animarum incrementa summopere conferrent? Quamobrem ii ipsi cives nullis laboribus, nullis sumptibus, nulli popularis pietatis incitationi et antehac pepercere, et hodie parcunt, ut faustum eventum, ob honores Christo Iesu delatos, ob apparatus magnificentiam et spiritualium ubertatem fructuum, inter praecipuas Bononiensis Ecclesiae laudes haberi queat et posterorum memoriae merito commendari. Ex earum vero explanatione atque illustratione rerum, quae in coetibus disceptandae proponentur, haud mediocrem in praesentes absentesque profecturam utilitatum copiam confidimus. Nemo enim non videt – ut aliquid delibando attingamus – quanti ad privatum et commune bonum intersit, fideles universos Eucharistiam interius cognoscere et christianam vitam, cuius fons et quasi centrum Eucharistia est, abundantius vivere; doctrinam autem de divino mysterio deque liturgia Eucharistica ita popularium mentes animosque pervadere, ut ii intellegendo et pietatis caritatisque igniculos concipiendo, minime vero quasi muti et inertes, sacra participent; caelesti praeterea altos eosdem nutritosque convivio, se quemque perficere, instruere suum a virtutibus animum studioque apostolatus imbuere. Quo quidem studio si christifideles moveantur, efficient profecto, ut non privatim et ab humiliore plebe tantummodo, verum etiam publice et ab ipsis qui ingenio rerumque scientia et cognitione excellunt hominibus officia pietatis Augusto Sacramento exhibeantur. Numne dixeris, unum aliquem praesentis in tabernaculo Christi Iesu satis aut honori consulere aut optata perficere, nisi is dominicum regnum, actione simul, quam catholicam vocant, provecta, latius proferendum amplificandumque curet? Atque ex eo ipso, quod divini Hospitis reverentiae gloriaeque prospiciendum est, nonne sequitur, catholicorum partes esse, ut, ad christianae artis leges, quicquid in templis nostris pulcherrimum est ac mirabile, tueantur incolume, res aut foedas aut pulchris nec decore nec congruenter admixtas inde, quantum potest, amoveant,

novarumque in exaedificatione sacrarum aedium ea lineamenta, eam formam quaerant, unde ad Deum, universae auctorem pulchritudinis, animus noster facilius evehatur atque evolet? Cum igitur proximi Conventus amplitudo ac dignitas a Nobis postularet, ut gratiâ atque auctoritate eum Nostra fulciremus et honestaremus, in te, dilecte fili Noster, oculos mentis Nostrae coniecimus, cui Nostrae hac occasione gerendae personae munus committeremus. Quod quidem ut iniremus consilium, praeter egregias ingenii animique tui laudes, nonnulla suadere videbantur: Bononienses scilicet memoriae illae, quae ad Eucharisticum cultum quod attinet, cum historia inlustris Praedicatorum Ordinis, ad quem ipse pertines, cohaerent. Etenim, ut alia praetereamus, Beatam puellulam Lambertiniam, qua, ut diximus, cive Bononienses iure gloriantur, Dominicianae moniales ad sanctitatem aluerunt; Angelicus autem Doctor, cui divinum Festi Corporis Christi Officium Ecclesia catholica debet, Bononiae cum aliquamdiu degisset, tum sacras in Athenaeo maximo tradidit disciplinas et ad populum haud semel, praesertim in sui Ordinis templo, contionatus est; in hac ipsa denique Aede, ubi corpus Dominici Patris vestri Legiferi, pretioso conditum in monumento sepulcri, asservatur, nonne coetus maximi habebuntur? Itaque te, dilecte fili Noster, Legatum Nostrum eligimus ac renuntiamus, qui, nomine Nostro, Conventui Eucharistico e natione Italica nono Bononiae praesideas. In quo tuum erit, coeuntes illuc fideles hortari, ut, amantissimum Servatorem nostrum redamando, cum in caritate eius proficiant perpetuo ac permaneant, tum sese praestent, ad humanam societatem reparandam, omnium bonorum operum effectores ac satores, quales esse decet atque oportet eos omnes, quotquot Christo dedêre nomen et ad aeternam beatitatem aliquando fruendam contendunt. Interea cum tibi, dilecte fili Noster, tum Cardinali Bononiensium Archiepiscopo, qui in hoc Augusti Sacramenti apparando triumpho tam diu amanterque elaboravit, tum etiam ecclesiasticis laicisque viris, qui eidem laborum socii adfuerunt, et iis omnibus qui Conventum Eucharisticum celebraturi sunt, uberrimorum auspicem fructuum paternaeque benevolentiae Nostrae testem apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM P. D. CAIETANUM PROTODIACONUM S. AGATHAE S. R. E. CARD. BISLETI SACRAE CONGREGATIONI DE SEMINARIIS STUDIORUMQUE UNIVERSITATIBUS PRAEFECTUM: DE SEMINARIO MAIORE SARDINIAE PROPE KULARIM AUSPICANDO.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quas prope oppidum Sardiniae Kúlarim, amoenissimo quidem et saluberrimo loco, e solo aedes excitari iussimus ad usum Seminarii maioris, clericis scilicet e tota insula ad sacras disciplinas communiter instituendis, eas, iam nunc absolutas, proxime dedicatum iri, summopere laetamur. Causa equidem Episcoporum illorum laetamur, qui primos consilii Nostri fructus primi delibaturi sunt; at vero Nostrum longe maior subit delectatio animum cum cogitamus, Dei benignitate Nobis datum, ut undecim Sardiniae dioecesibus, Seminario illo condendo, non profecto caducas ac speciosas, sed perpetuo mansuras, sed veras solidasque impertiremus utilitates. Etenim, ut nonnulla attingamus, ratiocinando experiundoque est cognitum, si unum aliquod e pluribus conlegium coaluerit, cum copiosiores instituto sospitando facultates suppetere, tum, imminuto moderatorum doctorumque numero, aptiores deligi posse et praesides et pietatis ceterarumque disciplinarum magistros, tum etiam sanctam optimarum laudum aemulationem in iuvenilibus animis facilius excitari. Huc praeterea accedit, quod, si quae inter varios eiusdem regionis populos contentiones ardeant ac simultates, si qua asperior exsistat ingeniorum dissimilitudo, iam, ob diuturnitatem convictus perpetuamque caritatis exercitationem, iis ipsis fraterne facientibus, qui patres ac magistri eorum populorum brevi futuri sunt, concordiae passim conciliandae consultum haud mediocriter erit. In Seminario igitur, prope Kularim canonice constituto, cum sacerdotalium virtutum, tum multiplicis doctrinae semina crescant ac vigeant, auctore Christo Iesu, ab cuius Corde Sacratissimo ipsum nuncupari voluimus; atque utinam Redemptoris amantissimi caritate Sardinia omnis, perinde ac clerici sui, incendatur atque aestuet. Interea placet, te, dilecte fili Noster, qui, Congregationis Seminariis regundis Praefectus, Nostri effector consilii fuisti praecipuus, illuc Legatum Nostrum dimittere, ut novum Seminarium, quandoquidem Nostram personam geres, veluti Nobis praesentibus dedicetur; fiet ita, insulani ut omnes intellegant, quantum

spei atque exspectationis in eo sacrae iuventutis domicilio, ad religiosam civilemque Sardiniae prosperitatem, collocemus. Esto autem caelestium auspex munerum, paternaeque benevolentiae Nostrae testis, apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, dioecesium illarum Pastoribus, itemque Seminarii moderatoribus, magistris atque alumnis, ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Septembris anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

DAMNATUR OPUS, « " L'ACTION FRANÇAISE „ ET LE VATICAN »

Cum ad hanc Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii delatum fuerit opus, cui titulus, *Les pièces d'un procès — « " L'Action Française „ et le Vatican » — Préface de Charles Maurras et Léon Daudet*, iussu Ssmi D. N. Pii Papae XI hoc praesenti decreto idem opus proscribitur, damnatur atque in Indicem librorum prohibitorum inseritur.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 19 Septembris 1927.

Aloisius Castellano, *Supremae S. C. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

30 Iulii 1927. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Pelusitanae praefecit R. P. D. Placidum Angelum Rey-Lemos, hactenus Episcopum Lucensem.

13 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Neritonensi, cum Ecclesia cathedrali Gallipolitana *ad personam* unitae, R. P. D. Caietanum Müller, Episcopum Gallipolitanum, qui posthac Episcopus Gallipolitanus et Neritonensis appellabitur.

— Cathedrali Ecclesiae Policastrensi, cum Ecclesia cathedrali Caputaquensi-Vallensi *ad personam* unitae, R. P. D. Franciscum Cammarota, Episcopum Caputaquensem-Vallensem, qui posthac Episcopus Caputaquensis-Vallensis et Policastrensis appellabitur.

2 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Attaetan., R. D. Fortunatum Devoto quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Iosephi Bottaro, Archiepiscopi Bonaerensis.

7 Septembris. — Cathedralibus invicem perpetuo unitis Ecclesiis Calagurritanae et Calceatensi, R. P. D. Fidelem Garciam Martinez, hactenus Episcopum titularem Hippensem, earumdemque dioecesium Administratorem Apostolicum.

II

DESIGNATIONES

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis iuris canonici, Metropolita Oregonopolitanus designavit pro appellatione in secunda instantia tribunal Metropolitae Sancti Francisci; itemque Metropolita Cincinnatensis designavit tribunal Ordinarii Clevelandensis.

Quas designationes Ssmus D. N. Pius Pp. XI, rescriptis Sacrae Congregationis Consistorialis, die 27 Iulii 1927 benigne adprobavit.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

12 Iulii 1927. — *Vicarius Apostolicus Iamaicae* R. P. D. Iosephus Dinand, e Societate Iesu, Episcopus titularis Selinuntinus.

16 Iulii. — *Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Hanyang in Sinis*, R. P. D. Eduardus Galvin, e Societate S. Columbani pro Missionibus apud Sinenses, Episcopus titularis Myrinensis.

II

DESIGNATIO

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis iuris canonici, Archiepiscopus Dyrrachiensis designavit per appellatione in secunda instantia tribunal Metropolitae Scodrensis. Item Vicarius Apostolicus de Victoria Nyanza, designavit tribunal Vicarii Apostolici de Uganda.

Quas designationes Ssmus Dñus Noster Pius Div. Prov. Pp. XI approbare dignatus est per rescripta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, respective die 2 Iunii et die 25 Iulii 1927.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

LUGDUNEN. seu MECHLINIEN. et VIVARIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE VICTORIAE TERESIAE COUDERC, CONFUNDATRICIS ET PRIMAE SUPERIORISSAE SOCIETATIS DOMINAE NOSTRAE A RECESSU IN COENACULO.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae, in casu et ad effectum, de quo agitur?

In oppido *Le Mas* ad municipium de Sablières, dioecesis Vivariensis pertinente, die 1 Februarii an.1805 ex honestis piisque coniugibus Claudio Michaële Couderc et Anna Méry, in lucem venit infantula Maria Victoria Teresia mox baptismatis sacramento regenerata, cuius familia hospitalitatis virtute enituit. Nam in illa tristissima rerum hominumque perturbatione gallica, potissimum vexatione ac direptione adversus Ecclesiam catholicam eiusque fideles ministros, coniuges isti in exemplum probitatis et religionis praepositi, summa humanitate et christiana caritate, sacerdotes aliosque clericos e propria domo, sede vel coenobio inique expulsos, tamquam hospites et amicos exceperunt, eisque omnia quae ad cultum et victum necessaria et utilia forent, large suppeditarunt. Hi vero pacem Christi possidentes secumque ferentes et donantes, ab ipso ingressu, domui et familiae perhospitali copiosam a Deo retributionem precabantur. Inter huius hospitalitatis, precum et benedictionis fructus recensenda quoque est puella Maria Teresia quae a teneris annis parentum cura, opere et exemplo sancte instituta, decennis ad sacram synaxin admissa fuit. Deinde christiana doctrina et primis disciplinis congruenter imbuta, praesertim apud patruum, quum esset septemdecim annorum, specimen dedit docendi in schola loci *Les Vans* sub directione probatae et religiosae foeminae e Congregatione S. Ioseph ab ipso loco nuncupata. In exercitatione scholastica ostendit ingenium, intelligentiam, modestiam aliasque idoneas qualitates cum profectu alumnarum, adeo ut moderatrix praevideret neomagistram futuram religiosam suae Congregationis. Attamen duos post annos, quum sacerdotes dioecesani mense Aprili an. 1825 missionem praedicare deberent in loco de Sablières, Ancilla Dei in domum paternam

revocata fuit, ut missionis exercitiis ad commune bonum adsisteret. Hisce omnibus expletis cum institutione Piae Unionis Filiarum Mariae, auctore missionario P. Terme, et praeside renunciata Maria Teresia, idem Pater mense Ianuario anni sequentis, obtinuit, ut Dei Famula, de consensu parentum, adiret oppidum *Aps* et sibi curam animarum gerenti operam praestaret auxiliatricem. Illic una ex sororibus Praesentationis B. M. V. adolescentulas idoneas collegerat pueris ac puellis erudiendis, atque huic coetui aggregata fuit Maria Teresia, quae sub magistra tyrocinii M. Clara, probata virtute clarescens, die 27 Martii 1826 religiosarum habitum ab Episcopo Vivariensi recipere meruit. Post aliquot menses praelaudatus sacerdos Terme praedicationis causa in urbem *La Louvesc* missus, opus bonum et opportunum duxit per peculiarem recessum excolere foeminas quae illuc advenerant peregrinantium more, atque ad hunc finem elegit et vocavit Mariam Teresiam et quasdam socias ad vitam religiosam cum ipsa aspirantes, eisque tradidit et explicavit normas, apposite scriptas et adhibitas a Patribus Societatis Iesu, pro exercitiis spiritualibus in praedicto recessu servandas. Exinde accidit ut Ancilla Dei praeses et quindecim sodales appellarentur Sorores Recessus Coenaculi vel S. Ioannis Francisci Regis, quae, exacto tyrocinio praescripto, vestes religiosas induerunt per manus antistitis Bonnel an. 1827, et post congruum tempus etiam annua vota simplicia rite emiserunt. Sub moderatore P. Terme istae Sorores tam in urbe *La Louvesc* quam in loco *Aps*, recessibus spiritualibus sedulam operam sibi et fidelibus valde utilem navarunt. Pie defuncto die 12 Decembris anno 1834 benemerentissimo P. Terme, ex eius ultima voluntate et dispositione Sorores a Recessu Coenaculi et a S. Francisco Regis, regimini et directioni Episcopi Bonnel et sacerdotum Societatis Iesu subiectae sunt. Tum, instante P. Renault S. I., religiosum Institutum in duas sodalitates divisum est, quarum una *Sororum a Recessu in Coenaculo* ad exercitia spiritualia praecipue destinata, altera *Sororum a S. Francisco Regis* puellis instituendis addicta, singulae distinctae cum propriis et respectivis vestibus, legibus et constitutionibus. Quae quidem separatio vinculum mutuae aestimationis, auxilii et caritatis inter utramque religiosam familiam numquam dissolvit. Maria Teresia Instituti confundatrix et prima superiorissa in hoc munere perduravit a die 1 Maii 1828 usque ad diem 23 Octobris 1838, sed post separationem praefuit tantum Congregationi nostrae Dominae a Recessu Coenaculi, et semper suo officio functa est summa rectitudine, prudentia et constantia, prouti communia vota superiorum maiorum et sororum subditarum apprime testantur. Quum vero subsidia et vires deficerent ad sustinendum onus quo gravabatur, Dei Ancilla, dimisso libenter officio in manibus Superioris R. P. Renault,

magnopere hortata est sorores ad obedientiam maximam sorori quae sibi in munere succederet. Interim ipsa mirabile praebuit exemplum humilitatis, obedientiae, devotionis erga Ssmam Trinitatem et Nazarenam Familiam, et vitae absconditae in Deo quasi foret in continuo spirituali recessu. Amantissima vero sui Instituti summum dolorem patiebatur cum ipsum decursu temporis in rebus temporalibus et spiritualibus aliquantum deficiebat. In suo quietis spatio, duo sunt adnotanda quoad opera exteriora Servae Dei, nempe: emptio domus religiosae de *Fourvière* an. 1842 peracta, atque eius missio ad domum Parisiensem instaurandam ordine et spiritu religioso: quod opus feliciter absolvit, instante et cooperante Episcopo Guibert. Dei Famula quae tum praeses tum subdita, in utroque gradu exstitit exemplar et magistra vitae sanctae ac religiosae, postremo sexennio mortalis suae peregrinationis, diuturnis corporis infirmitatibus et gravibus spiritus afflictionibus probata, se totam cum Christo Iesu Crucifixo, Deo offerebat victimam virtute foecundam et divinae maiestati placentem, de qua cantari posset cum psalmista: « Oculi Domini super iustos et aures Eius super preces eorum ». Institutum Sororum Dominae nostrae a Recessu Coenaculi, a Maria Teresia praecipue fundatum eiusque opera ac zelo firmatum et adornatum, tamquam arbor bene plantata in vinea Domini, suos expandit ramos et laetos uberesque fructus tulit et fert in gloriam Dei et in salutem animarum. Insuper iucunda recordatione commemorat Apostolicae Sedis decreta: primum *Laudis*, diei 10 Martii 1863, alterum *Confirmationis* Societatis, diei 18 Martii 1870, tertium *Approbationis* Constitutionum diei 23 Iulii 1886, ac demum Litteras Apostolicas sa. me. Leonis Papae XIII, diei 17 Martii 1891 quibus Ipse suprema Sua auctoritate sancire ac declarare dignatus est Societatem nostrae Dominae a Recessu Coenaculi eiusque Opera large lateque diffusa, tamquam manifesta signa et pignora divini beneplaciti, Apostolicae benedictionis et Instituti prosperitatis. Postremis vitae diebus Ancilla Dei retulit cuidam testi qui deposuit in Causa quod ipsa postquam receperat, prouti de more, sanctam Hostiam, se vidit circumdatam multitudine personarum orantium et canentium hymnos, psalmos et preces quae supplicantes et gementes adorabant Deum. Erant, uti eadem putavit ac dixit, animae piorum fidelium poenas in purgatorio luentes quae dum inter cetera canebant Hymnum *Te Deum laudamus* etc. ipsa quasi invitata et allecta in sociam debuit cum eis canere: « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth », etc. Neque mirum si Deus hoc permiserit ob orationes et miserationes Servae Dei in defunctos et ferventem eius devotionem in sanctissimam Trinitatem. Constat enim ipsam, ad suam fidem et pietatem profitendam in honorem et gloriam tanti mysterii, pulchram et appositam oratiuncu-

lam concinnasse, postea auctoritate ecclesiastica approbatam, ut quotquot Deum unum et trinum vera fide invocant et in mandatis eius ambulant, voluntate et actione Ipsi auxilianti Domino placeant. — Tandem diuturno morbo vexata acutisque doloribus afflicta, Maria V. Teresia, Sacramentis Ecclesiae pie susceptis, uti sponsa dilecta suo sponso dilecto Christo Iesu adiuncta, in pace quievit *Fourvière* in loco, die 26 Septembris anno 1885. Fertur quod eius anima visa fuit in caelum advolans pulcherrima et aurea veste induta et quod eius corpus exanime suavissimum efflavit odorem. Insuper frequentissimus populus ad funus et ad sepulcrum, Mariam Teresiam unanimi voce sanctam appellabat. Exuviae in coemeterio *Le Louvesc* humatae, anno 1909 in sacellum domus Instituti Sororum N. D. a Recessu Coenaculi, eiusdem urbis, translatae sunt. Legitur in Proverbiis: «Mors iusti cum laudibus, et nomen impiorum putrescet». Pretiosa mors Servae Dei fuit echo eius vitae, et fama sanctitatis ante et post obitum adeo inclaruit et usque in praesens perduravit, ut super ea inquisitiones adornatae sunt Ordinaria auctoritate in dioecesibus Lugdunensi, Mechliniensi et Vivariensi; quibus expletis et ad Sacram Rituum Congregationem delatis, quum, iuris ordine servato, nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, instante R. P. D. Francisco Xaverio Hertzog, Protonotario Apostolico a. i., Procuratore generali Familiae Sulpitianae et huius Causae postulatore legitime constituto; attentisque litteris postulatoriis Emorum Patrum S. R. E. Cardinalium, inter quos Emus Card. Tosi Archiepiscopus Mediolanensis opportune memorat et maxime laudat apostolicum ministerium in illa civitate et archidioecesi exercitum, sub Archiepiscopis Calabiana et Ferrari, in admirabilem dignitatem et gratam utilitatem sororum a Coenaculo earumque Operum et Sodalitatum, a professore Seminarii Maioris, sacerdote pio et docto Achilleo Ratti, hodie divina miseratione et providentia Summo Pontifice Pio XI feliciter regnante; inspectisque aliis ad rem litteris obsequentissimis Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum, Abbatum, Capitulorum, Superiorum Ordinum et Congregationum religiosarum, utriusque sexus; rogantibus quoque celsissimis Principibus ac nobilibus viris et mulieribus, Emus et Rmus Dnus Camillus Cardinalis Laurenti, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis, subsignata die ad Vaticana aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, re accurate discussa et perpensa, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signan-*

dam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit». Die 5 Iulii 1927.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Lugdunen., Mechlinien. et Vivarien., beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Victoriae Teresiae Couderc, confundatricis et primae superiorissae Societatis Dominae nostrae a Recessu Coenaculi. Die 13 Iulii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, 22 Settembre, Sua Santità ha ricevuto in solenne udienza S. E. il Signor GIORGIO DE BARCZA, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Ungheria, per la presentazione delle Lettere credenziali.

TRIBUNALE DELLA SACRA ROMANA ROTA

Sabato 1° Ottobre, ebbe luogo nel Palazzo Apostolico Vaticano la solenne inaugurazione dell'anno giuridico. Dopo la Messa dello Spirito Santo e la prestazione del giuramento, i Rmi Prelati Uditori, con gli Ufficiali del Sacro Tribunale e con gli Avvocati furono ammessi alla presenza del S. Padre. Avutane licenza, l'Illmo e Rmo Monsig. Massimo Massimi, Decano, lesse il seguente indirizzo:

Beatissimo Padre,

« L'anno giuridico, che chiudemmo alla metà di Agosto, fu per il nostro Tribunale un anno di singolare celebrità: la stampa di tutto il mondo parlò diffusamente della Rota.

« Lo straordinario interesse preso dall'opinione pubblica alle decisioni rotali, non si doveva a novità od eleganza di questioni, ma alla condizione delle persone in causa, che con la loro alta importanza sociale attirarono la comune attenzione, un'attenzione in vero poco benevola e facile al sospetto.

« Così da più parti ci giunsero critiche e proteste. Ci si rimproverò di aver giudicato cause matrimoniali di acattolici, intromettendoci in ciò che non ci riguardava, e di averle giudicate in favore della nullità del matrimonio, quasi avessimo con ciò rinnegata l'indissolubilità del sacro vincolo.

« Ma tali rimproveri non avevano fondamento alcuno. Perchè, in primo luogo, non si può ignorare che la Chiesa afferma altamente – e basta leggere il can. 1960 del Codice – il suo diritto di giudicare le cause matrimoniali tra i battezzati. È chiaro che molti degli acattolici, non considerando il matrimonio come Sacramento, ritengono le cause matrimoniali di competenza dello Stato e per conseguenza non può riuscir nuova la loro opposizione ai nostri principi. Ma è pur chiaro che quegli acattolici, che ricorrono all'autorità ecclesiastica, riconoscono col fatto la competenza della Chiesa, la quale non sdegna di ascoltarli, essendo rivolta la loro domanda *ad animae praeiudicium avertendum*,

per usare la parola del can. 1654. È in realtà un accostarsi di dissidenti alla Chiesa, che suole preludere al ritorno, e forse appunto per questo il loro passo riesce odioso ai correligionari.

« Quanto alle proteste in favore dell'indissolubilità del matrimonio, queste ci sono sempre simpatiche, perchè nessuno più di noi ha a cuore tale principio. Queste voci, che dovrebbero destar maraviglia, venendo di là dove impera il divorzio, le accogliamo come una cara testimonianza dell'anima naturalmente cristiana e cattolica. Ma, se il matrimonio non si può annullare, può ben essere nullo fin dal principio. Quali siano le cause di nullità, è scritto nel Codice, così che tutti possono rendersene conto. A quelle noi ci atteniamo, motivando largamente le nostre sentenze, in diritto e in fatto. Quindi l'unica, ma efficace, risposta, che demmo alle domande, che ci venivano da tante parti, fu la pubblicazione, nel Bollettino della S. Sede, delle sentenze che avevano suscitato il pubblico interesse.

« Nè sono un privilegio dei ricchi, le cause, che si svolgono nel nostro Tribunale, perchè ai poveri viene concesso il gratuito patrocinio con dispensa anche dalle spese vive, in primo luogo di stampa, le quali vengono a gravare la S. Sede, così da assorbire, quasi per intero, le modeste tasse, imposte per le cause a pagamento. Nell'anno giuridico decorso la Rota ha pronunziato *cinquantacinque* sentenze definitive, di cui *quarantacinque* in cause matrimoniali. La sentenza è stata favorevole alla parte attrice soltanto in *ventotto* di queste cause. Osservando la divisione in cause a pagamento e in cause di gratuito patrocinio, che è a parti quasi uguali, risulta che la percentuale delle sentenze favorevoli nelle cause di gratuito patrocinio non è punto inferiore a quella che si riscontra nelle altre.

« L'interesse preso dal pubblico alle decisioni della Rota ci ricorda la nostra grave responsabilità e ci spinge a vigilare, affinchè, come dice l'Apostolo, *qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Come è immacolata la legge, così senza macchia deve essere il Tribunale, dove viene applicata. Questo, al riprendere del nostro lavoro, abbiamo chiesto all'altare, per mezzo di Colei, che, tutta santa, non conobbe macchia alcuna. Questo abbiamo là promesso, e questo torniamo a promettere innanzi al trono della Santità Vostra, grati dei benefici, e desiderosi di corrispondere nel modo migliore alle sovrane aspettative. Così ci conforti la paterna benedizione, che devotamente invochiamo ».

Rispondeva il Santo Padre essergli dopo ciò ben facile formulare agli Uditori il Suo augurio e programma pel nuovo anno giuridico. Continuassero così: a riempire di intense diligenze, con non minore fervore, i giorni dell'opera loro; ad esercitare le severe funzioni della giustizia e insieme a porgere ascolto, partecipi della materna benignità della Chiesa, alle voci delle anime, tinte del Sangue del Redentore; a tener sempre alte le sacre, divine ed umane, esigenze della suprema legge dell'indissolubilità del matrimonio, pur facendo ogni giustizia ai veri e incontestabili motivi di nullità; e, ben sapendo che come

la ricchezza non dà diritto a violar la giustizia così la povertà non dà privilegio di insolenza, continuassero a tutelare quella che Bossuet con elevata parola chiamava « la posizione privilegiata dei poveri nella Chiesa ».

« Bene è stato detto, — proseguiva — che come immacolata è la legge, come immacolata è la Chiesa, così immacolato deve essere il Tribunale che la legge applica nella Chiesa; e tale sarà sempre il Tribunale finchè immacolati, nella lor vita e sopratutto nell'esercizio delle loro funzioni, saranno tutti e singoli i membri ai quali tal nobilissimo compito è affidato. A tale uopo, vi siete mostrati ben consapevoli della necessità della *vigilanza*, ed è efficace incitamento ad essa l'attenzione, anche quella non benevola, che all'opera vostra si presta. La vigilanza però richiama la necessità della *preghiera;* « Vigilate et orate »; e voi questa mattina avete pregato, avete invocato lo Spirito Santo, per intercessione della Sua Sposa immacolata. È quindi legittimo augurio e programma la parola che vi abbiamo rivolta, o figli dilettissimi, fin da principio: Continuate così. E la benedizione apostolica vi assista nel continuare ».

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

8 Maggio 1927. Il Revmo P. Gregorio di S. Teresa, dei Carmelitani Scalzi, *Consultore della Sacra Congregazione dei Sacramenti.*

21 Settembre » L'Emo Sig. Card. Lorenzo Lauri, Penitenziere Maggiore, *Membro della Suprema Sacra Congregazione del S. Officio.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

6 Agosto 1927. L'Emo Sig. Cardinale Enrico Gasparri, *Protettore della Congregazione « de las Hermanas de la Penitencia de la Tercera Orden de S. Francisco »* (Tuqueres, Colombia).

12 » » Monsig. Roberto Piacitelli, *Chierico della Reverenda Camera Apostolica.*

1 Settembre » L'Emo Sig. Cardinale Gaetano Bisleti, *Protettore dell'Istituto delle Terziarie Francescane della B. Angela* (Foligno).

1 Settembre 1927. L'Emo Sig. Cardinale Camillo Laurenti, *Protettore delle Suore Compassioniste Serve di Maria* (Scanzano, Castellammare di Stabia).

16 » » L'Emo Sig. Cardinale Evaristo Lucidi, *Protettore delle Religiose Orsoline di Somasca* (Bergamo).

Assistenti al Soglio Pontificio:

2 Luglio 1927. Monsig. Pio Marcello Bagnoli, Vescovo dei Marsi.

27 » » Monsig. Giovanni Maria Zonghi, Arcivescovo tit. di Colossi.

13 Agosto » Monsig. Francesco Orozco y Jimenez, Arcivescovo di Guadalajara.

» » » Monsig. Francesco Rodolfo Bornewasser, Vescovo di Treviri.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

27 Aprile 1927. Monsig. Francesco Hlavati, dell'archidiocesi di Vienna.

19 Luglio » Monsig. Gioacchino Rosati, della diocesi di S. Miniato.

1 Agosto » Monsig. Antonio Scheirich, della diocesi di Alba Reale.

» » » Monsig. Francesco Samà, della diocesi di Oppido Mamertina.

9 » » Monsig. Gaetano Abbatescianni, dell'archidiocesi di Bari.

22 » » Monsig. Luigi Campino Larrain, dell'archidiocesi di Santiago del Chile.

Prelati Domestici di S. S.:

25 Novembre 1926. Monsig. Giacomo Scherer, della diocesi di Basilea.

27 Aprile 1927. Monsig. Carlo Koeppl, dell'archidiocesi di Vienna.

» » » Monsig. Carlo Frim, della medesima archidiocesi.

31 Maggio » Monsig. Alfredo Ottaviani (Roma).

12 Luglio » Monsig. Felice Crépeaux, della diocesi di Nizza.

» » » Monsig. Vittore Germond, della medesima diocesi.

19 » » Monsig. Faustino Baldini, della diocesi di San Miniato.

» » » Monsig. Jesse Botti, della medesima diocesi.

20 » » Monsig. Giuseppe van Hulse, della diocesi di Oklahoma.

» » » Monsig. Giorgio Price, dell'archidiocesi di Birmingham.

26 » » Monsig. Urbano Giovanni Vehr, dell'archid. di Cincinnati.

» » » Monsig. H. Giuseppe Pohlschneider, della medesima archidiocesi.

» » » Monsig. Patrizio Giuseppe Hynes, della medesima archidiocesi.

30 » » Monsig. Paolo Galeazzi, della diocesi di Narni.

1 Agosto » Monsig. Pasquale Oropallo, della diocesi di Sant'Agata dei Goti.

4 Agosto 1927. Monsig. Giacomo Filippo Ryan, dell'archidiocesi di Milwaukee.
» » » Monsig. Lamberto Meyer, della diocesi di Münster.
26 » » Monsig. Giulio Griepenkerl, della diocesi di Treviri.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

9 Giugno 1927. Al sig. principe Luigi di Löwenstein, della diocesi di Würzburg.

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

3 Dicembre 1926. Al sig. Leandro Nagore, della diocesi di Pamplona.
11 Gennaio 1927. Al sig. Francesco du Four, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Al sig. Alfredo van Melckebeke, della medesima archidiocesi.
11 Aprile » Al sig. Emilio Debilde, della diocesi di Tournai.
27 Luglio » Al sig. Francesco Viani, dell'archidiocesi di Genova.
10 Agosto » Al sig. Felice Polck, della diocesi di Loreto.
17 » » Al sig. Alberto Cortadellas (Bolivia).
13 Settembre » Al sig. Michele King, della diocesi di Clifton.
17 » » Al sig. Nicola Sion, della diocesi di Lilla.
25 » » Al sig. Alfredo Castelli, dell'archidiocesi di Milano.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

20 Gennaio 1927. Al sig. Fernando Maldonado, della diocesi di Tabasco.
12 Luglio » Al sig. Emmanuele Naudi, del Vicariato Apost. di Egitto.
14 » » Al sig. Giovanni F. Owen, della diocesi di Oklahoma.
» » » Al sig. Carlo Mac Mahon, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Giacomo Flanagan, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Tommaso Eugenio Vessels, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Carlo Quinlan, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Franklin V. Shaw, della medesima diocesi.
20 » » Al sig. Ottavio Leduc, della diocesi di Soissons.
26 » » Al sig. Gaetano De Majo, dell'archidiocesi di Palermo.
29 » » Al sig. Antonio Püls, dell'archidiocesi di Bamberga.
» » » Al sig. Casimiro Bouchart, dell'archidiocesi di Cambrai.
30 » » Al sig. Teodoro Cornelis Luyckx, dell'archid. di Utrecht.
» » » Al sig. Giacomo Wontems Jorissen, della medesima archidiocesi.

30 Luglio 1927. Al sig. Corrado Giuseppe Stöcker, della diocesi di Harlem.
» » » Al sig. Adolfo Ravagnan, della diocesi di Senigallia.
3 Agosto » Al sig. Giuseppe Bourguignon, dell'archidiocesi di Tolosa.
11 » » Al sig. ing. Andrea Ferraris di Celle, della diocesi di Cuneo.
5 Settembre » Al sig. avv. Giuseppe Spae, della diocesi di Gand.

La Gran Croce dell'Ordine di San Silvestro Papa:

20 Luglio 1927. Al sig. conte Alessandro Erdödy, della diocesi di Sabaria.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

2 Agosto 1927. Al sig. cav. avv. Cesare Viviani, dell'archidiocesi di Siena.
9 » » Al sig. avv. Cesare Cavaceppi (Roma).
11 » » Al sig. conte ing. Alessandro Carassi del Villar, della diocesi di Saluzzo.
» » » Al sig. ing. Angelo Provera, della diocesi di Casale.
19 » » Al sig. Tullio Gualdi, della diocesi di Civita Castellana.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

13 Luglio 1927. Al sig. Federico Caselli, dell'archidiocesi di Torino.
29 » » Al sig. dott. Francesco A. Pfeiffer (Baviera).
30 » » Al sig. Giovanni Bianchi, della diocesi di Trieste.
3 Agosto » Al sig. Guglielmo Tewes, dell'archidiocesi di Colonia.
» » » Al sig. Carlo Soehling, della medesima archidiocesi.
11 » » Al sig. Alfonso Pella, dell'archidiocesi di Milano.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

2 Settembre 1927. Monsig. Francesco Garro, dell'archid. di Santiago di Cuba.
15 » » Monsig. Federico Alvigini, della diocesi di Tortona.
» » » Monsig. Giov. Francesco Fresno, dell'archidiocesi di Santiago del Chile.
» » » Monsig. Luigi Enrico Baeza, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Arturo Cortinez, della medesima archidiocesi.
16 » » Monsig. Giuseppe Gravili, dell'archidiocesi di Brindisi.
» » » Monsig. Francesco Passante, della medesima archidiocesi.

16 Settembre 1927. Monsig. Corrado Sehner, della diocesi di S. Ippolito.
» » » Monsig. Eustasio Fernández, dell'archidiocesi di Yucatan.
19 » » Monsig. Giovanni Bonada, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Monsig. Giuseppe Rancati, della diocesi di Crema.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

16 Settembre 1927. Monsig. Carlo Edinger, della diocesi di S. Ippolito.
» » » Monsig. Clemente Stinner, dell'archidiocesi di Colonia.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

24 Giugno 1927. Il sig. Giovanni Lieger, dell'archidiocesi di Vienna.
15 Settembre » Il sig. Enrico Heymeyer de Heemstede, dell'archidiocesi di Utrecht.

Cameriere d'onore extra Urbem *di S. S.:*

13 Settembre 1927. Monsig. Alberico De Angelis, della diocesi di Albano.

NECROLOGIO

8 Agosto 1927. Monsig. Adalberto Schmücker, Vescovo tit. di Elearchia.
14 Settembre » Monsig. Giuseppe Gandolfi, Vescovo di Iesi.
21 » » Monsig. Pio Stella, Vescovo tit. di Amizone.

Nuperrime prodierunt:

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
MISSAE DEFUNCTORUM ex Missali Romano **desumptae. Accedit Ritus absolutionis pro Defunctis.** Editio typica Vaticana in charta manufacta impressa, typis lectu facillimis, rubro-nigris characteribus, figuris, etc. ornata. Impressum patet 27×18; pagina 31×22½ (gr. 205 pondo)	7,50	9 —	10,50
— Linteo nigro religata, cum Cruce impressa signaculis, etc.	17 —	19,50	22 —
— Cum Cruce argentea impressa, addatur L. 1 —			
ORDO DIVINI OFFICII recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Universalis Ecclesiae. Anno Dñi bissextili 1928	3,50	4 —	4,50
RITUALE ROMANUM Pauli V Pontificis Maximi iussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Pp. XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum qui accedit Benedictionum et Instructionum Appendix. – Editio prima post typicam. **MDCCCCXXVII.** Luce esatta della stampa mm. 156×93. Peso gr. 290. **Un volume in-12°** di pp. XII-674, adorno di artistiche incisioni. Stampa in rosso-nero con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	25 —	26 —	28,75
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	30 —	31 —	34 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	33 —	36 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	38 —	39 —	42 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	40 —	41 —	44 —
RITUALE PARVUM cum variis benedictionum formulis. – Luce della stampa mm. 120×71. Stampa in nero con rubriche in corsivo, riquadratura alle pagine; pp. 230. – Sciolto	3,50	4,50	5 —
— Legato in tela, *taglio rosso*	5,80	6,50	7,60
— Legato in pelle, *taglio oro* e busta	13 —	14 —	15 —

Officium et Missa in Festo D. N. Iesu Christi Regis, *cum cantu.* Editio typica Vaticana. – Vol. in-8°, pp. 88 e copertina	5 —	6 —	7,50
Missa in Festo D. N. Iesu Christi Regis, *cum cantu.* Charactere rubro et nigro, in-4°, pp. 4	1,20	1,40	1,80
— Editio ***sine cantu,*** charactere rubro et nigro, in-8° mai., pp. 4 . . .	1 —	1,20	1,60
Officium in Festo D. N. Iesu Christi Regis. Charactere rubro et nigro, in-12°, pp. 22	1,25	1,45	1,65
Ordinamento dei Seminari (S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli studi). Seconda edizione coll'aggiunta della Lettera Apostolica del Santo Padre Pio XI *Officiorum omnium* del 1° Agosto 1922	3 —	3,50	4 —
La nostra fede, di Mons. Massimo Massimi. Due voll. in-12°, terza ediz.	10 —	12 —	13 —
Vol. I. **Le basi del Domma Cattolico,** pp. 116.			
Vol. II. **La sintesi del Domma Cattolico,** pp. 174.			

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis„ (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).

MONITUM.

Omnes - qui nostrum "Acta Apostolicae Sedis" Commentarium officiale sunt pacti, quibus mense decembri 1927 nomina excidunt et denuo subnotandi voluntas est - ut quam primum subscribant rogantur, ne iisdem ullam missio pro anno 1928 fasciculorum, volumen XX complectentium, moram patiatur.

In renovanda vero subnotatione ut alteram ex fasciculorum schedulis externis mittant, vel numeros designent nomini ipsi praepositos socii iterum rogantur.

Sono pregati i nostri abbonati, ai quali scade l'abbonamento col prossimo mese di dicembre 1927, e che vogliono rinnovarlo, di farlo al più presto possibile, affinchè non sia loro ritardata la spedizione dei fascicoli del 1928, anno XX, volume XX.

Nel rinnovare il loro abbonamento sono pure pregati di volerci inviare la fascetta con la quale ricevono il fascicolo, ovvero ricopiare i numeri che precedono il nome.

Nos abonnés, dont l'abonnement finit en décembre 1927, et qui désireraient le renouveler, sont priés de le faire au plustôt, afin qu'il n'y ait pas de retard dans l'envoi des fascicules de 1928, XXe année, volume XXe.

Ils sont priés également de vouloir bien, en renouvelant leur abonnement, envoyer la bande sous laquelle ils reçoivent les fascicules, ou recopier les numéros qui précèdent leur nom.

1. Subnotatio in antecessum est solvenda curritque a die 1a Ianuarii.

2. Qui decursu anni nomen suum dederint, omnes iam vulgatos fasciculos recipient.

8. Trimestris aut semestris subnotatio non datur.

4. Annuae subnotationis pretium, quod nunquam minuetur, est:

Pro Italia	L.	20 —
Extra Italiam . . .	»	35 —
Unius fasciculi . .	»	3 —

5. Si quis velit ut sibi fasciculi modo tutiore, seu ut dicitur *commendati*, transmittantur, praeter annuae subnotationis pretium, solvet:

Pro Italia	L.	8 —
Extra Italiam . . .	»	25 —

6. Litterae ad Administrationem spectantes necnon subnotationis pretium mittantur ad ipsam Administrationem, et quidem hac inscriptione:

1. L'abonnement doit être payé d'avance et court à partir du 1er janvier.

2. Tout abonnement ordonné dans le courant de l'année donne droit à tous les fascicules déjà parus.

3. Il n'y a pas d'abonnement trimestriel ni semestriel.

4. Le prix annuel d'abonnement, lequel n'admet pas de remise, est:

Pour l'Etranger . .	L.	35 —
Un fascicule . . .	»	3 —

5. Les envois *recommandés* comportent un supplément

pour l'Etranger de . L. 25 —

6. Les lettres concernant l'Administration ainsi que le prix d'abonnement doivent être envoyés au siège même de l'Admin., avec l'adresse suivante:

All'Amministrazione degli « *Acta Apostolicae Sedis* » Libreria Vaticana
VATICANO ROMA

ENCHIRIDION BIBLICUM

Documenta Ecclesiastica Sacram Scripturam Spectantia.

Auctoritate Pontificiae Commissionis de re Biblica Edita.

Romae L. 10 — In Italia L. 11 — Apud Exteros L. 13,50

Linteo anglico contectum cum titulo aureo:

[Romae L. 15,40 In Italia] L. 16,40 Apud Exteros L. 18,90

Cum non facile praesto omnibus simulque sint documenta, quibus Ecclesia sive solemnioribus declarationibus sive ordinario magisterio, divinitus traditam de Libris sacris doctrinam exposuit et vindicavit, peropportune factum est ut praesenti *Enchiridio* eadem omnia ratione authentica colligerentur, aptoque ordine iuxta seriem temporis disponerentur, ac locupletissimo indice systematico instruerentur. Licet generatim in collectionem nonnisi ea documenta admissa sint qui a competenti auctoritate prodierunt, tamen pauca quaedam quorum origo in obscuro quidem est at antiquitate commendantur, ut Canon Muratorianus et Decretum Gelasianum, eidem collectioni adiecta sunt. Series documentorum uberrima ad n. 528 pertingit quamquam ex proposito excepta fuerint quae nonnisi indirecte doctrinam de sacris libris attingunt, utpote quae spectant v. g. ad studium linguarum, ad usum concionatorium, ad frequentandam lectionem SS. Scripturarum etc. En brevis conspectus praecipuarum vocum ex indice systematico: Agitur de Sacra Scriptura generatim: signanter de Canone - de Inspiratione - de Veritate absoluta ss. librorum - de Interpretatione - de Textibus et versionibus - de Historia exegeseos - de Pontificia Commissione Biblica - de Vulgatae correctione - de Instituto Biblico. Deinde, de singulis libris, partibus, commatibus, quidquid singillatim authentico magisterio propositum est, dilucide et plene indigitatur.

Paginarum vero typorumque externa ratio indoli « libri manualis » apprime respondet.

Venit Romae apud Administrationem Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis" (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*)